

esse, quæ licet tollant accidentalem formam, et non radicem ejus, quæ est substantia, tamen non ita tollunt illam accidentalem formam, quod non disponant ad tollendam, vel infirmandam radicem ejus, a qua dependet, sicut cæcitas tollit quidem visum, sed non disponit ad tollendam vitam, sicut ægritudo febris; et tenebra tollit lucem, sed non disponit ad tollendum diaphanum. Et ideo quia tales privationes sistent in tollenda forma opposita, nec ad ulteriorem tollendam, aut infirmandam disponunt, dicuntur privationes in facto esse.

XXXIII. Quæ vero sic tollunt unam formam, quod disponunt, et tendunt ad tollendam aliam, dicuntur privationes in fieri, quia respectu alterius formæ in tendentas, et dispositione sunt. Et tales quia relinquunt aliquid de ea, ad quam tollendam disponunt, si quidem non privat illa, possunt admittere medium aliquid, et non se habere ut contraria immediata, eo quod pro illa parte, qua relinquunt aliquid de ulteriori formam non privant totaliter, et sic non opponuntur totaliter, possunt ergo aliquid quasi medium relinquere.

XXXIV. Ex his ergo respondemus ad replicam factam. Fatemur peccatum nihil relinquere in actu de rectitudinis rationis formalitate. Sed tamen quia relinquit radicem, et principium hujus rectitudinis, scilicet ipsa principia practica rationis, et syndæresim quam non extinguit, sed obnubilat, et infirmat, ideo locum relinquit, ut detur actus moralis, qui medius sit inter bonum, et malum, seu indifferentis quantum est ex parte objecti, eo quod ista privatio totaliter destruit illud oppositum etiam radicaliter. Cum vero instatur, quod hoc est solum relinquere indifferentiam radicalis, quæ est indifferentia in ge-

nere naturæ, non in linea morali, respondetur quod etiam relinquit radicem illam, seu principium in esse morali, quatenus relinquit principia practica, et syndæresim, quæ tractant de bono morali in communi, et non solum de bono in genere naturæ; hæc enim principia practica non extinguntur, et moralia sunt, cum sint seminaria virtutum, ut: Quod tibi non vis, alteri ne feceris: unum Deum cole, et similia. Nec solum important moralitatem in communi, et in genere, quæ communis est bono, et malo; sed quæ determinate sunt regulativa boni, et ad bonum morale spectant. Cum ergo non solum naturalia sed etiam moralia maneant, datur locus, ut in genere morali aliquid indifferentis, et medium saltem ex parte objecti præcise consideratum remaneat, quatenus illud objectum a ratione attingitur, et permittitur, non autem prohibetur ut sit malum, nec præcipitur, aut consulitur ut bonum, sub præcepto enim etiam consilium continetur. Quare non solum remanet radicaliter rectitudo in genere ipsius naturæ, sed in genere morali, et sic potest dari aliquod medium inter bonum, et malum modum indifferentiæ moralis.

XXXV. Quod vero instatur, etiam in privationibus in facto esse posse manere radicale principium formarum, quæ privantur, ut cum cæcitate manet forma substantialis animæ, quæ est radicale ejus principium, et cum tenebris diaphanum, quod est principium radicale claritatis, respondetur manere ut pure subjectum recipiens talem privationem, non ut objectum, seu forma tollenda per talem privationem, eo quod non sunt istæ privationes disponentes, aut de se tendentes ad ablationem talis formæ, et principii radicalis; in privationibus autem,

quæ dicuntur in fieri, manet forma ipsa, et principium radicale tamquam res tollenda per talem privationem, eo quod ad eam formam tollendam, aut infirmandam ordinatur, et tendit, sed non pervenit ad hoc ut totaliter auferat.

XXXVI. Ad confirmationem respondet actum indifferentem dici talem non solum ex objecto considerato in genere, sed etiam in specie atomæ, ut ire in campum, levare festucam, etc. Nec enim dicitur actus indifferentis, quia respicit objectum in communi, et secundum gradum genericum, hoc enim dicitur indifferentis indifferentia universalitatis, et prædicationis, dividiturque in bonum, et malum ut in species, et de eis prædicatur. Indifferentia autem de qua in præsenti loquimur non est indifferentia prædicationis, sed ordinationis, et tendentia ad bonum, et malum per modum subjecti, quod habet statum indifferentiæ, ut reddatur bonum, vel malum mediate, scilicet mediante fine, aut circumstantiis. Hoc autem convenit multis actibus etiam ex suo objecto specifico, et et in specie atomæ sumpto, non in genere, ut loqui, ambulare, comedere, et alii similes, qui et bene, et male fieri possunt. Neque hanc indifferentiam dividere possumus per diversas species indifferentiæ, sicut bonitas, et malitia per diversas species dividuntur, eo quod moralitas indifferentiæ non est regulatio determinata, et positiva, sed tantum permissiva, quatenus nec prohibet, nec præcipit, sed relinquit actum, ut possit induere malitiam, aut bonitatem mediante fine. Hæc autem permissio, et capacitas in quocumque actu invenitur, eodem modo invenitur, nec est diversus modus, et species talis permissionis, et capacitatibus, solum enim consistit in hoc quod permittatur, aut relin-

quatur a lege, in omitendo autem regulationem, nulla differentia reluet.

XXXVII. E contra vero mensuratio ipsa rationis per quam actus redditur bonus multas differentias specificas patitur, quia non potest eodem modo participari regulatio illa in omnibus materiis, sicut aliter regulantur timores, aliter audaciæ, aliter concupiscentiæ, et sic de aliis sicut in gubernatione politica, aliter regulantur magnates, aliter mercatores, aliter milites, etc. Et in mensuris, aliter mensurantur liquida, aliter arida, aliter fit mensuratio pondere, aliter ulna, vel amphora, etc. Et eodem modo se habet in operario nempe in malo morali, quod penes recessum a diversis regulationibus, diversas contrarietates, et deformitates accipit. Quod vero dicitur de illis indifferentibus, quæ in malum sonant, respondetur ista male sonantia non constituere diversam speciem moralitatis, sed in indifferentia permanere, quia licet in malum sonent, tamen in se vere mala non sunt ex objecto suo, quoque ponatur malus finis, aut etiam fiunt bona si ponatur bonus. Ex sonantia ergo non judicatur species moralitatis, sed ex veritate, quia vere, et proprie sic regulantur, vel non regulantur, licet dicantur sonare in malum, quia frequentius male fiunt, non quia ex se indifferentiam non habeant.

XXXVIII. Secundo arguitur: Ista species moralis indifferentiæ superflua est, nec habet aliquod fundamentum ut ponatur; ergo non est ponenda. Antecedens probatur, quia sola natura, et entitas actus sufficit, ut dicatur indifferentis ad bonum et ad malum, ipsa enim entitas actus, hoc ipso quod actus liber est, per seipsum est capax bonitatis, et malitiæ, quia omnis actus liber ex se est materia regulabilis a ratione,

ergo sine aliquo superaddito entitati actus capax est, et indifferens ad bonum, et malum morale. Nec potest reddi indifferens moraliter per aliquem respectum ad regulas rationis, quia potius indifferentia ista consistit in hoc, quod omittatur a regula rationis, non autem in hoc, quod ad illam ordinetur, aut ei subjiciatur: per illam autem omissionem regulationis non redditur actus ille magis indifferens, aut magis capax bonitatis, vel malitiæ, quam ex nuda entitate actus deliberati. Ergo superflue ponitur indifferentia ista tamquam species quædam moralis, cum non appareat quid addat moralitas ista super entitatem actus liberi, et sic solum pertinet hæc indifferentia ad lineam, et genus naturæ.

XXXIX. Confirmatur, quia ista moralitas indifferentiae neque consistit in respectu positivo ad regulas rationis, neque in aliqua privatione, aut negatione; ergo sine fundamento ponitur. Antecedens probatur, quia respectus positivus ad regulam non est nisi per conformitatem, aut difformitatem ad illam, si quidem vel regulatur a regula, et subjicitur illi, vel non. Si regulatur est bonum et conforme, si non regulatur est malum, cum sit capax regulari, et non reguletur. Si autem pure omittitur a regula, hoc non pertinet ad genus moris, sed ad exclusionem a genere moris, quia ab illa non tangitur, sed relinquitur. Non pertinet autem ad regulam, et mensuram aliquam id, quod relinquitur ab illa, sed hoc extra genus moralitatis, et mensurationis est. Si autem per negationem, aut privationem indifferentiam habet, non ergo talem moralitatem habet ab objecto, et ex specie sua, quia actus nihil haurit ab objecto nec comparatur ad illud media privatione, sed mediante respectu, et tendentia.

XL. Confirmatur secundo, quia non datur habitus ex specie sua indifferens; ergo nec actus. Patet consequentia, quia actus sequitur naturam habitus, et e converso, cum ex actibus generentur habitus, et actus procedant ex habitibus. Antecedens probatur, quia omnis habitus moralis adæquate dividitur in virtutem, et vitium, non ergo remanet habitus indifferens.

XLI. Respondeatur ad principale argumentum negando antecedens. Ad probationem dicitur, quod actus indifferens ex sua entitate, et linea naturæ præcise consideratus est indifferens remote, et materialiter, consideratus autem intra ordinem, et lineam moralis est indifferens proxime, et formaliter. Et hæc indifferentia distinguitur a prima in hoc, quod natura actus præcise in sua entitate est indifferens, ut reddatur bonus, vel malus immediate ex ipso objecto si præcipiatur, vel prohibeatur, ita quod adhuc ex illo potest habere speciem boni, vel mali, vel etiam mediate ex fine, et circumstantiis, quia in sua specie, seu objecto nondum intelligitur prohiberi, aut præcipi, aut relinquiri. At vero actus cum indifferentia moralis consideratus habet determinate ex objecto non esse bonus, vel malus, ita quod jam non potest ex objecto suo immediato esse bonus vel malus, sed solum mediate, scilicet ex fine, et circumstantiis, eo quod circa immediatum objectum regula ipsa rationis, seu lex nihil posuit prohibitionis, aut præcepti, sed permisit, aut omisit illud.

XLII. Et hoc est, quod dicit S. Thomas in hac quæstione xviii, articulo viii: « Quod contingit quod objectum actus non includit aliquid pertinens ad rationem, et tales actus secundum speciem suam sunt indiferentes. » Intelligitur enim non includere aliquid pertinens ad ratio-

nem immediate, et ex vi proprii objecti, quia nec præceptum est, nec prohibitum, sed solum mediate, quia permittitur illud objectum in se; ex fine autem vel circumstantiis adjunctis reddi potest bonus, vel malus actus, quod est mediate fieri bonum, vel malum. Quare inter indifferentiem pure naturalem, et moralis in actu, hoc interest, quod indifferentia naturæ non est indifferentia objectiva, et specifica, sed subjectiva; indifferentia autem moralis est objectiva. Et indifferentia subjectiva talis est, quod natura actus ex se intelligitur, ut materia capax omnis regulationis, et moralitatis, tam ejus quæ provenire potest ex proprio, et immediato objecto, quam ejus quæ potest mediate illi provenire ex fine, et circumstantiis. Unde talis indifferentia subjectiva, et materialis etiam in actibus intrinseca, et ex specie sua bonis, vel malis reperitur, si quidem natura talium actuum ea est, quod potest a ratione regulari, sive ex parte objecti, sive circumstantiarum, eo quod potest præcipi, aut prohiberi a lege tam ex parte objecti, quam circumstantiarum. Unde etiam actus charitatis, vel justitiae, aut religionis entitative considerati habent hanc indifferentiam subjectivam, hoc est entitatem, et materiam capacem, ut accipiat regulationem moralis bonam ex objecto suo. At vero indifferentia objectiva non solum dicit entitatem capacem regulationis cuiuscumque tam ex parte objecti, quam circumstantiarum, sed etiam dicit specificam attingentiam objecti in esse morali, et quod ex illo immediate non habet regulationem prohibitionis, vel præcepti, sed solum permissionis, et sic solum est capax regulationis mediatæ quæ habetur ex fine, et circumstantiis, non autem immediate, et ex proprio objecto. Et hoc addit indif-

ferentia moralis supra naturalem, et sic non est communis omni actui morali, sicut indifferentia subjectiva, et entitativa. XLIII. Ad primam confirmationem respondetur, quod (ut jam supra diximus) indifferentia moralis per ordinem, et tendentiam ad objectum constituitur, unde desumitur omnis specificatio. Cum autem dicatur, quod omnis respectus, et ordo positivus ad regulam, vel est per conformitatem, vel per difformitatem, distinguo; si sit respectus ad regulam, seu legem prohibentem, vel præcipientem, concedo; si sit ordo ad legem permittentem tantum, nego; hic enim respectus non est per conformitatem, aut difformitatem erga objectum sic permissum, sed per respectum ad objectum indifferens, seu in ordine ad regulam sic indifferenter se habentem erga objectum ut immediate nec reddat actum bonum, neque malum, sed permissum, ut possit mediate ex fine, vel circumstantiis adjunctis, esse aut bonus aut malus. Et hoc ideo est, quia actus ipse in se non attingitur, et mensuratur immediate per regulam, sed objectum ipsum a regula, et lege attingitur, actus autem respiciendo tale objectum sic regula ipsa affectum redditur mensuratum, aut regulatum, eo modo quo objectum fuerit. Objectum ergo actus indifferentis secundum se consideratum, et præscindendo a circumstantiis non subjicitur prohibitioni, aut præcepto legis, sed permissioni, ratione cuius hoc objectum, nec bonum, nec malum est immediate ex se, sed solum mediate, quatenus ex fine, et circumstantiis potest reddi bonum, aut malum. Ipse autem actus erga tale objectum tendit positivo ordine, et tendentia, sicut omnis actus ad objectum suum, et hic respectus positivus est, sed per talem respectum attingit objectum non positive